



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **De Ecclesiastica Hymnodia Libri Tres**

**Secchi, Anacleto**

**Antverpiæ, 1634**

De Ecclesiastica Hymnodia Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:1-45942](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:1-45942)

D E  
ECCLESIASTICA  
HYMNODIA  
PRÆFATIO.



*Q*uis diuinarum laudum, quæ  
 solemniter in Templis cantu  
 scilicet persoluuntur, in Ec-  
 clesiastica Hierarchia ab ini-  
 tio sui ortus magna ex cultum pietate ac  
 diligentia, ad diuinam Maiestatem tum  
 colendam tum celebrandam, tum exoran-  
 dam atque placandam, valdè opportunum,  
 ea locorum, personarum *et* temporum sin-  
 gulari dispositione frequentatur, vt meri-  
 tò extolli suspiciq̄ue debeat. Quod ad loca Hymno-  
dia in omni  
loco est in  
vfu.  
 spectat, nulla reperiri facile poterit Orbis  
 pars, in qua sacri non decantentur Hymni  
 ad honorem summi veriq̄ue Dei. De qui-  
 bus propheticè pronuntiasse dici posset ipse  
 Hymnographus illis verbis: In omnem Psal. 18.  
 ter-

ter-

terram exiuit sonus eorum ; sicut & veri Dei cognitio & fides per totum ter-

Omne ge-  
nus homi-  
num est  
vsui Hym-  
nodia op-  
portunum.

rarum orbem viget dilatata. Quod ad per-  
sonas pertinet , nullæ omnino mortalium  
qualitates ab hoc laudationis munere cog-  
noscentur exclusæ ; sed omnes admittun-  
tur , sine discretionem aut gradum aut sexum :  
nam non viri tantum , sed innumerae pæ-  
nè virgines Hymnodia studiosæ ubique  
viuunt congregatæ. Quod admirans bea-

S. Ambros.  
Prefat. in  
Psalm.

tus Ambrosius , in hæc verba erupit : Mu-  
lieres , quas Apostolus in Ecclesia ta-  
cere iubet , Psalmum etiam benè cla-  
mant. Hic omni dulcis ætati , hic vtri-  
que aptus est sexui : hunc iuenculæ  
ipsæ sine dispendio matronalis psal-  
lunt pudoris ; puellulæ sine prolapsio-  
ne verecundiæ , cum sobrietate gra-  
uitatis , Hymnum Deo inflexæ vocis  
suauitate modulantur.

Qualibet  
hora dici  
exercetur  
Hymno-  
dia.

Quod ad tempora , nullus poterit in to-  
to anni circulo assignari dies , imò forsan  
neque hora huiuscemodi laudibus omnino  
vacua. Cùm Ecclesia iam sit ubique ter-  
rarum

rarum propagata, & ubique laudes frequentet diuinas in choro statis temporum & horarum spatiis, non ubique tamen excurrat eadem temporis qualitas, sed varia atque diuersa horarum conditio, iuxta hemisphaeriorum diuersitatem, reperitur; ita ut quando in nostro hemisphaerio illucescit aurora, in alio, ubi eadem Ecclesia adest, ardeat meridies; in alio vesper eodem tempore surgat, media nox possideat caelum in alio; aliae item temporis differentiae alibi existant: hinc facile euenire possit, ut singulis omnino horis, aut ferè singulis, iuges offerantur Deo altissimo laudes; & quod ab vno tantum homine, ob communem naturae imbecillam conditionem, expleri omnino nequiret, mira obtineatur facilitate à tota Ecclesia variis in locis dispersa, propter ministrorum multitudinem, & varietatem horizontis.

Ecclesia  
Deum lau-  
dibus cele-  
brat omni  
tempore.

Ad hanc diuinarum laudum iugem continuationem respexisse credunt quidam Doctores sanctum Hymnographum, dum, de hisce differens laudibus ad Deum di-

Iacob. Val.  
Episc.

\*\*

rectis,

*Psal. 64.* *rectis, pronuntiavit, Exitus matutini & vespere delectabis: intelligentes per exitum matutini, terram ad Solis ortum sitam, & diei progressum ab aurora vsque ad noctem; per exitum autem vespere, terram ad Solis occasum spectantem, & noctis progressum à vespere vsque ad auroram. Quasi dixerit, & prædixerit spiritu prophético David, per omnes prorsus horas, tum diei tum noctis, delectabiles futuras laudes Deo, quæ per totam terram, tam in Oriente quàm in Occidente, à fidelibus ministris offeruntur. Cui expositioni favere videtur S. Hieronymus legens hunc Psalmi locum: Egressus matutini & vespere laudantes facies. Ad quod etiam magis spectat lectio Symmach.*

*S. Hieron.* *mus legens hunc Psalmi locum: Egressus matutini & vespere laudantes facies. Ad quod etiam magis spectat lectio Symmach.* *machi: Progressiones diluculi & vespere Hymnum dicentes facies.*

Laudes di-  
uinæ sem-  
per Deo  
gratæ.

*Harum laudum tam frequentem cantum sicut Deo semper extitisse gratum, si ea qua par est pietate exerceretur, varia benevolentia signa à Deo ipso ad mortaliū vtilitatem exhibita non semel declararunt;*

rarunt; ita certo certius sperandum esset, gratiorem quoque futurum, si pietas excitaretur maior opportuno aliquo ad rem argumento, siue auxilio. Quod facile obtineri posset, si praesertim tanti operis dignitas sublimis, si item praecleari fructus menti psallentium frequenter obiicerentur. Dignitas amorem, fructus studium, si cognoscerentur, gignerent, ac augerent. Opera igitur pretium me facturum existimaui, si quae usus meo à sanctis Patribus & Doctores collecta paraueram ad rem hanc opportuna, euulgari permitterem ad multorum utilitatem, sicut non semel à grauioribus viris fui requisitus, quasi dixerim coactus. Nec fortassis opus istud omnino carebit aliqua necessitate, si maximè attendatur praesentium temporum ratio. Non enim defuerunt, neque desunt in dies homines aliàs pijs & docti, qui publicæ Hymnodiae Ecclesiasticae praestantiam aut penitus obscurare, aut saltem imminuere conantur. Ut itaque istorum conatus faciliùs possint infringi, necesse erat

\*\* 2

sele-

selectiora, ad huius excelsi muneris commendationem, argumenta, è sacris Libris praesertim & à Doctoribus hausta, colligere, & ob oculos omnium digesta proponere. Quae igitur sancti Patres & insigniores Ecclesiae Doctores sparsim traderunt tum circa dignitatem, tum circa effectus siue fructus, & circa necessitatem, tum etiam circa modum rectè laudandi Deum, complexus in hoc breui Tractatu offero sub titulo Ecclesiasticae Hymnodiae.

Tractatus  
inscriptio  
cur nomen  
Hymno-  
diae habeat.

Placuit hoc Opus, quod nomine vel diuini Officij vel Horarum Canoniarum ab aliis fortassis inscriberetur, titulo Ecclesiasticae Hymnodiae insignire, vt, antiquorum Sapientum more, operis denominationem ab eius parte potiori desumeremus. Si partem potiore expendere quis velit ex ratione finis, qui humanis actionibus praebere solet & formam & speciem, hic certè cognoscitur praecipuè esse laus altissimi Dei. Nam ad hoc, ait S. Bonauentura, instituta est ab Ecclesia recitatio diuini Officij,

S. Bonau.  
lib. de Sex  
alis Seraph.  
cap. 8.

ficij, vt laudes Dei in terris celebrarentur à viatoribus mortalibus, sicut in calis iugiter celebrantur à Beatis immortalibus.

Nomen autem Hymnodia laudationem Dei significare notum est; quia quod Græcè dicitur Hymnus, Latine redditur laus Dei. Hinc apud Græcos profanos Hymnus accipitur pro carmine aliâve metrica oratione in honorem & laudem Numinis directâ; & qui apud illos scripserunt carmina de Deo, sicuti habiti sunt Theologi, inter quos insigniores fuere Linus, Orpheus, & Trismegistus, ita appellati sunt Hymnographi.

Hymnodia  
significat  
laudatio-  
nem Dei.

Si item attendere quispiam vellet partem potiore ratione materiæ, ex qua componitur opus diuinarum laudum, clarè constabit vnicuique opus consideranti, maiorem illius partem & prolixiorum esse Hymnos. Cùm Officium diuinum contineat Lectiones, Capitula, Orationes, Psalmos & Cantica, omnes nouerunt maiorem partem sitam esse in Psalmis, qui synonyma sunt cum Hymnis. Licet ex usu

Diuini Of-  
ficij maior  
pars sunt  
Psalmi.



*Ecclesiae Hymnus distinguitur à Psalmis, ut cognoscatur discrimen inter laudes à Davide factas, & alias laudes à Catholicis Doctoribus compositas; nihilominus, si vera significatio attendatur, idem omnino sunt Hymnus & Psalmus, utraque enim vox explicat laudem Dei, & utraque exigit cantum ad sui perfectionem. Ideò qui dicitur à nobis Liber Psalmorum, ab Hebræis dicitur Liber Hymnorum. Et Philo, loquens de Davide Psalmorum auctore, vocat eum nomine Hymnographi.*

*Psalmus & Hymnus idem sunt.*

*Philo lib. de Mundo.*

*Non dissentit ab hoc usu diuina Scriptura, quæ describens cantum & letitiam Sacerdotum & Leuitarum, ob renouationem Templi factam à Zorobabele, sicuti eo tempore decantati sunt Psalmi Davidis, inter quos precipui fuerunt tres illi, qui incipiunt, Confitemini Domino quoniam bonus, ita eos appellat nomine Hymnorum: Steterunt Sacerdotes, ait, in ornatu suo cum tubis, & Leuitæ in cymbalis, ut laudarent Deum per manus David Regis Israël. Et concinebant*

*Psalm. 105. 106. & 135.*

*1. Esdra 3.*

cinebant in Hymnis & confessione  
 Domino : Quoniam bonus , quo-  
 niam in æternum misericordia eius.

ac si diceretur (explicat appositè Augusti-  
 nusTorniellus) laudabät Deum in Hymnis August.  
Torniell.  
anno 1964.

à Davide compositis, illis nempe qui inci-  
 piunt: Confitemini Domino quoniam  
 bonus, quoniam, &c. desumpto nomine  
 huiusmodi Hymnorum à prima dictione  
 Confitemini, vnde appellati sunt confes-  
 siones. Hymnodia itaque nomine idem as-  
 seritur, quod Psalmodia verbo diceretur.

nam præterea eadem est Hymni & Psal-  
 mi & forma, & materia, & finis. Ma- Psalmo-  
rum mate-  
ria, forma,  
& finis.

teria sunt Deus & diuina perfectiones,  
 iustitia, misericordia, sapientia, bonitas,  
 providentia, pietas, amor, & similia. For-  
 ma est poëtica & metrica, ad modos seu  
 concentus musicos accommodata. Non di-  
 ci potest Hymnus, nisi fuerit metricè com-  
 positus; nec item Psalmus esse potest, nisi  
 ad metrum sit formatus. Hinc illud graue

S. Isidori testimonium, quòd omnes Psal- s. Isid. l. 6.  
& Hymn.  
cap. 2.  
 mi apud Hebræos metrico carmine fuerint

compositi: nam, in morem Romani Flacci, & Græci Pindari, nunc alij Jambo currunt, nunc Elegiaco personant, nunc Sapphico nitent trimetro. Finis tandem tam Hymni quàm Psalmi est idem, nempe Dei honor & laus. Sicut igitur Davidici Hymni potiore, & maiorem melioremque sibi vendicant partem huius Operis; ita ab istis desumpta est à nobis denominatio, & in eorum dignitate & præstantia præcipuum situm est huius Tractatus fundamentum.

Ea mihi non est mens in hoc Opere, omnium Hymnorum siue Psalmorum mysteria exponere; tum quia id munus copiosissimè expletur ab iis qui in Librum Psalmorum Commentaria ediderunt, qui certè plurimi sunt, tam ex antiquis quàm ex iunioribus Doctoribus; tum quia opus in immensum excresceret, non sine legentium & incommodo & fastidio. Neque id consilij fuit, rationes & causas pangere singularum partium Hymnodicæ, neque rationem reddere siue ordinis Psalmorum

morum ab Ecclesia adhibiti in diuinis per-  
 soluendis Officiis, siue aliorum rituum, qui  
 obseruari debent à cantantibus in choro,  
 non enim hic locus id à me postulare vide-  
 tur. Sicut etiam neque omnium cerimo-  
 niarum dari queunt rationes particulares,  
 uti ex D. Augustino adstruit opportunè  
 Decretum in Iuris Canonici corpore rela-  
 tum; & confirmatur etiam à celeberrimo  
 Gersone Parisiensi, dum asserit, in non-  
 nullis obseruationibus ab Ecclesia præscri-  
 ptis vix reddi posse rationem sufficientem,  
 sed satisfieri dicendo, quòd sic placuerit  
 Legislatori, aut Ecclesiasticæ consuetudi-  
 ni. Quibus consonant Iuris periti dicen-  
 tes, non omnium quæ à Maioribus consti-  
 tuta sunt reddi posse rationem. Hæc liben-  
 tiore animo sunt à nobis missa facienda,  
 quia satis abundè huic muneri factum vi-  
 demus ab iis qui de Ritibus & Rituum  
 causis scripserunt: inter quos nuperrimè  
 laudem sibi comparauit Bartholomæus  
 Gauantus, editis in rubricas Breuiarij ab-

Omnium  
 rituum Ec-  
 clestastico-  
 rum non  
 potest assi-  
 gnari cau-  
 sa.

Cap. Om-  
 nia talia.  
 dist. 12.

Gerson 3. p.  
 Tract. de  
 Direct. cor-  
 dis.

Non om-  
 nium quæ  
 à maiori-  
 bus consti-  
 tuta sunt  
 dari potest  
 ratio.

ff. de Leg.  
 l. 20.

Barthol.  
 Gauant. in  
 Rub. Breu.

*sauri sacrorum Rituum. Eò itaque diriguntur consilia & intentio, vt offeramus Hymnodia publicæ, quæ in choro exercetur, studiosis rationes & argumenta, è sacris Libris & Sanctorum virorum doctrinis accepta, quæ, tamquam stimuli, nos & alios excitare valerent ad rectum & perfectum Hymnodie vsum.*

Latina lingua dignior & aptior huic materiz.

*Si quis percunctetur, cur Italus Latinam magis elegerim linguam in hoc Opere quàm Italam, causa est in promptu multiplex, tum vt dignitati rei, de qua agitur, opportuniùs inseruirem; tum quia, sicuti omnibus debitor sum, ita omnibus vbique terrarum laudantibus Deum opus offerrem; tum vt naturæ & conditioni subiecti essem conformior; nam & laudes ipsæ, ad quas hoc Opus dirigitur, Latina lingua ab omnibus explentur; tum denique quia Italis propediem morem gerere possum, mens enim est idem Opus in maternam conuersum linguam emittere, aut ab aliis emittendum (sicuti haud à paucis visa prima editione flagitatum est) concedere.*

*Stylum*

Stylum adhibere volui planiorem, qui potius ad animi affectus piè commouendos conducere posset, quàm delectationi inservire. Methodum elegi aptam ad rem, ut primò de præstantia & effectibus Hymnodiae agatur, ex quibus amor & aestimatio Operis concipiatur; & his traditur primus Liber. Deinde quo modo, quibusve dispositionibus, & rectè & perfectè ad Hymnodiam par sit accedere, ut hinc studium excitetur erga Operis usum; quibus secundus Liber expletur. Tandem à quibus sit cauendum defectibus Hymnodiae fructum prorsus auferentibus, aut saltem minuentibus; quibus tertius adscribitur Liber. Omnia ad solius Dei Optimi Maximi gloriam, & ad proximi vtilitatem directa cupio; & acri iudicio & censura sanctæ Ecclesie, quam Matrem ego minimus filius vnice colo, libens subiicio.

Operis di-  
uino.